

natura sufficiens et proximum fundamentum est suae personalitatis; cum si illa producat vel fiat, eadem actione ista etiam ponatur: ideoque naturae existentia quaecumque sit determinativum personalitatis. Quod vero ratione posterius est, et fundatur in altero, secundum rationem ab illo emanat; ergo a natura divina secundum nostrum concipiendi modum emanat saltem aliqua personalitas.

Cur autem ex tribus personalitatibus, quas ob naturae fecunditatem fides in Divinis docet, PATERNITAS sola sit illa quae intentionaliter emanet, breviter ita colligitur: inter plures personalitates ea videtur sic emanare, quae est magis connaturalis Deitati: ea videtur magis connaturalis, quae modum existentiae conformem cum natura h. e. ascitatem habet: ea modum existendi a se obtinet, quae a nullo principio producit: ea nullatenus producit, quam origo vel via productionis nulla praecedat: eam via hujusmodi non praecedat, quae ipsa primam originem ac productionis modum exercet erga personalitatem aliam: atqui hoc praestat PATERNITAS respectu Filii, quem per intellectionem, seu primam immanenter agendi rationem, producit; ergo PATERNITAS immediate et intentionaliter emanat a divina natura. Accedit, quod personalitates aliae realiter producantur vel adaequate vel inadaequate a Patre, et hinc secundum rationem emanare solum a natura nequeant.

ARTICULUS III.

EX QUARUM RERUM COGNITIONE PROCEDAT SECUNDA PERSONA?

398. *Nota.* Equidem secunda in Divinis Persona convertibiliter dicitur *Filius* et *Verbum*: haec tamen omnia non sunt synonyma. Nam relatio Filii diserte enuntiat ordinem viventis a vivente in similitudinem naturae; Verbi autem relatio magis explicite prodit ordinem procedentis a dicente. Multo minus synonyma sunt intelligere, ac dicere, seu loqui. Prius enim simpliciter enuntiatum solam habitudinem denotat ad objectum cognitum; quae praecise stat in tendentia vitali ad objectum sine ratione originis, et hinc solum grammaticalis est actio: posterius vero importat habitudinem ad verbum prolatum, seu concipiendo productum. Quare dum vel verbum Psal. 32. 7. sumitur pro imperio intellectus, aut decreto voluntatis, vel dicere, aut loqui Gen. 1. 26., Psal. 148. 5. et 6., et apud ANSEL. in Monol. c. 30. 40. 60. pro intelligentia, aut iudicio communi, aut consensu accipitur; ubique improprie usurpatur.

Quamvis autem ex eodem capite *intellectio* essentialis non sit formaliter ipsa dictio, seu locutio; tamen supponitur vel ad eandem pertinet: sicut quamvis intellectus non sit principium quo formale proximum, tamen tanquam principium potentiale ac remotum ad generationem Verbi spectat: ut adeo actio *active* sumpta dicatur cognitio notionalis importans relationem verbi, seu producti a dicente. Ex quibus intelligere datur, varias phrasas a Patribus in hoc argumento usurpatas. Nam solus *Pater* in Divinis proprie loquitur; quia solus Verbum producit: loquitur *Verbum* ut objectum, et ut terminum locutione productum: loquitur per suam *proprietaem*, velut per os et facultatem locutivam; cum illa sit principium quo formale proximum: loquitur *soli Filio*; quia is solus per Verbi productionem red-

ditur intelligens: loquitur etiam Verbo ut *personae*, cui manifestat Verbum ut cognitionem: loquitur denique per *Verbum*, inadaequate sumptum, sive pro locutione et generatione passiva, sive pro essentia communicata, tanquam manifestativo formali.

Porro praeter relationem *originis* realem hactenus memoratam, in verbo et dictione non minus, ac in cognitione invenitur alia adhuc relatio, scilicet *rationis*; quae est representatio objecti, seu ordo verbi ac dictionis ad objectum representatum. Atque de hoc objecto hic quaeritur, quale sit respectu cognitionis notionalis illius, ex qua Persona secunda tanquam *Verbum* procedit. Circa quam quaestionem imprimis observandum est, objectum hujusmodi duplicis esse generis: aliud *divinum*, quod complectitur essentiam, attributa, et relationes divinas; item cognitiones et decreta Dei, tum necessaria, tum libera: aliud *creatum*, quod complectitur possible et futura, seu absoluta, seu conditionata.

Deinde cognitionem Dei, utpote essentialiter perfectissimam, esse comprehensivam et intuitivam rerum omnium cognoscibilem; posse tamen, secundum nostrum intelligendi modum et objectorum distinctionem, concipi aliquem cognitionis divinae ordinem pro *signis originis* ad Filium, seu Verbi productionem, ita ut in *primo* comprehendatur essentia cum attributis, ideoque videatur esse radix trium Personalitatum secundum originem, et creaturarum secundum causalitatem: in *secundo* ex utriusque comprehensione cognoscatur emicare virtus generativa Verbi, qua Pater constituitur, et jam ut existens proponitur: in *tertio* conspiciatur Verbum jam ut ex virtute illa generativa existens: in *quarto* videatur etiam Spiritus sanctus ut ex Patre et Filio existens, et sic natura divina jam ut perfecte in tribus Personis subsistens intelligatur: in *quarto* habeatur scientia media reflexa: in *quinto* scientia media directa ponatur: in reliquis decreta Dei libera et scientiae illa excipientes sequantur.

Denique Verbum posse procedere ex cognitione objectorum, vel per se ac formaliter, vel per accidens tantum et concomitanter. *Primum* fit, si cognitio tanquam ratio formalis conducat ad Verbi productionem: *secundum*, si cognitio non ita conducat, licet identice ac realiter ad eandem concurrat; sicut cum proportionem realitas dicitur conducere ad ratiocinationes, animalitas autem non conducere tanquam ratio formalis; unde

Tandem *sensus quaestionis* est, quanam ex objectis, sive divinis sive creatis, attingat cognitio, quam Pater divinus in signo priori originis ad Filium seu productionem Verbi habet? sive ex quorumnam objectorum cognitione Verbum procedat sive *formaliter* et per se, sive *concomitanter* et per accidens? De cognitione essentiae divinae tanquam formali ratione processionis nemo est qui ambigat: de cognitione aliorum non tam diversitas sententiarum videtur, quam difficultas subtilitatis metaphysicae; in qua ad apices discutienda cum non appareat vel necessitas, vel tanta utilitas, quaestionem brevibus duntaxat assertis resolvemus.

399. *Dico I.* Verbum divinum per se procedit ex cognitione attributorum et trium Personarum.

Prob. Quod procedit *per se* ex intuitiva et comprehensiva cognitione essentiae divinae, per se procedit ex cognitione attributorum et Personarum

Dei; quia hujusmodi cognitio attingit rem, ut est *in se*, et totam totaliter cognoscit; adeoque saltem ea, quæ formaliter rei insunt, et qualia sunt prædicata necessaria tam relativa quam absoluta, complectitur: sed VERBUM procedit per se ex intuitiva et comprehensiva cognitione essentiæ divinæ; hujusmodi enim cognitionem exigit tum objectum, quod est primum: tum produciens, qui se ipsum cognoscit: tum procedens, qui est VERBUM perfectissimum, et perfectissime representans; ergo procedit per se ex cognitione attributorum et trium Personarum.

Conf. 1. Verbum per se procedit ex cognitione, qua Pater se ipsum comprehendit; tum quia Verbum, vi suæ processionis, tanquam perfecta Patris imago hunc representat et exprimit: tum quia Patri alias non foret per omnia æquale; quod insinuavit Aug. L. 13. de Trin. c. 14. scribens: *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia: non enim seipsum integrè perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in seipso.* Sed cognitio, qua Pater se ipsum comprehendit, eadem non tantum comprehendit attributa, sed et Filium ac Spiritum sanctum: tum quia correlativa, qualia sunt tres Personæ, sunt simul natura et cognitio: tum quia Pater in sui cognitione comprehensiva vim suam generativam et spirativam intuetur, quæ sine terminis correspondentibus Filii et Spirati nequit cognosci; ergo.

Conf. 2. In signo priori originis ad generationem Filii, Filius et Spiritus sanctus reipsa jam existunt; tum quia sunt entia plane necessaria: tum quia illud originis instans non est temporis, nec naturæ, nec prioritatis *in quo*, sed tantum *a quo*. Deinde in eodem signo Filius et Spiritus sanctus cognoscuntur; quia cognitio tum divinitatis, tum paternitatis comprehensiva nequit carere notitia Filii et Spiritus sancti, ut ex dictis constat. Præterea hæc cognitio non est *abstractiva*, sed intuitiva; quia nec est cognitio per species alienas; cum Deus ad se cognoscendum non indigeat specie intelligibili; et, si essentia divina foret species, non tamen aliena esset: neque est cognitio *absentis*, aut ut formaliter absentis; cum ex memoratis Personæ jam existant; et quamvis in illo priori non cognoscantur ut existentes in se ipsis, cognoscuntur tamen ut existentes in essentia: neque est cognitio rei duntaxat in alio; quia Personæ cognoscuntur in se ipsis, licet ut exercite existentes in posteriori signo attingantur. Ergo etiam VERBUM ex cognitione tum sui ipsius, tum Spiritus sancti procedere potest, quamvis non possit esse sui ipsius principium, aut habere esse suum a suo termino; cum ad prius non requiritur motivum physicum, aut determinativum, sed sufficiat objectum, et quidem pure terminativum, quale hic solum adest: ad posterius autem necessaria foret prioritas originis in Filio respectu sui, et in Spiritu sancto respectu Filii; quod utrumque repugnat.

400. *Dico II.* Idem procedit etiam per se ex cognitione possibilium, per accidens autem et concomitanter tantum ex cognitione futurorum tam conditionatorum, quam absolutorum.

Prob. 1^a p. Verbum per se ac formaliter procedit ex cognitione essentiæ divinæ ac attributorum, ut constat ex num. priore et ex auctoritate FULGENTII et ANSELMII; quorum prior L. 3. ad Monim. c. 7. inquit: *Nec minus aliquid habet verbum quod ex mente nascitur quam est mens, de qua nascitur;*

posterior autem in Proslog. c. 23. ait: *Non potest aliud quam quod es, aut aliquid majus vel minus te esse in Verbo, quo te ipsum dicis: quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu verax: ex quo patet hunc S. Doctorem in Monol. c. 30. loqui de futuris; aut, si de possibilibus intelligatur, asserere quidem Verbum esse ac manere, non tamen idem, sed diversæ rationis, siabilia forent impossibilia. Sed cognitio comprehensiva essentiæ attingit ejus participabilitatem, et similis cognitio attributorum, præsertim omnipotentis, attingit rerum producibilitatem; adeoque possibilia, utpote quæ sunt essentiæ participabilia et omnipotentis producibilia; ergo.*

Conf. 1. Juxta Aug. L. 6. de Trin. c. 10. n. 11. Verbum procedit a Patre, tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilem. Sed quod procedit ut ars et ut plena omnium rationum incommutabilem, debet representare artefacta secundum esse ideale, seu possibile, et secundum rationes essentielles, seu prædicata non repugnantia; adeoque ex horum cognitione procedere; ergo.

Conf. 2. Quamvis ipsa possibilia non sint principium Verbi, sicut nec Verbum sui ipsius, nec Spiritus sanctus Verbi est principium: tamen ex cognitione illorum, æque ac istorum procedere potest; cum, quæ inter utraque intercedit differentia, nihil impediatur. Non enim in possibilibus obstat ratio *creati ac finiti*; quia, quamvis Pater essentiam cognoscat principaliter ac directius, quam creaturas ut possibles; cognoscit tamen utraque pro eodem signo naturæ: et ipsa etiam essentia prius movet ad representationem objecti, licet *creati et finiti*, quam ad productionem Verbi; cum essentialia sint priora notionalibus: Nec ratio *producibilis simpliciter*; quia possibilia ut simpliciter producibilia, quamvis nequeant produci, nisi a divina essentia per suas personalitates completa; tamen cognosci possunt ut producibilia ab essentia, priusquam hæc intelligatur sic completa; cum cognosci possunt ut essentialiter respicientia essentiam, ut participabilem et omnipotentem, non autem ut subsistentem in tribus personalitatibus, vel ut personam: Nec ratio *producibilis per Verbum*; quia licet non possint cognosci prius esse quam Verbum sit, aut productione sua per Verbum faciendâ antecedere ipsam Verbi productionem; prius tamen cognosci possunt ut objecta producibilia per Verbum, quam ipsum Verbum intelligatur productum.

Prob. 2^a p. Juxta S. Aug. L. 13. de Trin. c. 14. *Novit omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso tanquam se ipsum, et in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso:* adeoque tam cognitio Patris comprehensiva, quam ratio Verbi, quod est hujus cognitionis terminus, omnia representantis exigit cognosci a Deo res omnes cognoscibiles, quas inter etiam sunt futura quæcumque; quod ipsum probant etiam Patrum dicta nonnulla, ad plus evincendum alias prolata. Quominus tamen ex cognitione Dei, ut terminata ad futurum creatum quodcumque, probetur procedere Verbum *formaliter ac per se*, sic efficitur: cognitio, ex qua formaliter procedit Verbum, debet esse necessaria; cum ipsa Verbi productio *per se et absolute* necessaria sit, quæ a contingente dependere nequit: sed cognitio futurorum creatorum qualiumcumque non

est necessaria; quia hæc sive conditionata sive futura sunt contingentia; ergo.

Conf. 1. Similiter cognitio, ex qua Verbum procedit, debet esse prior secundum rationem, productio Verbi autem posterior: atqui cognitio futurorum creatorum nequit esse prior, et productio Verbi posterior; sed res habet se vice versa: cum futurorum cognitio sit *contingens*, productio autem Verbi *necessaria*; necessaria autem in Deo priora sint contingentibus; ergo.

Conf. 2. Cognitio *per se* non concurrat ad productionem Verbi, quæ non est perfectio, sed prædicatum neutrum; quæ non connectitur essentialiter cum objecto representato; quæ, si non daretur, adhuc idem et eodem modo existeret Verbum; prout fere ex terminis patet. Sed cognitio futurorum imprimis non est *perfectio*, sed prædicatum neutrum; quia, quamvis perfectio sit cognoscere quodlibet cognoscibile, tamen perfectio non est cognoscere hoc potius, quam illud; cum ab objecto in cognitionem divinam ex se perfectissimam et motivo physico carentem, nulla refundatur excellentia: item essentia divina cognitioque essentialis cum nulla re *creata* ut futura connectitur essentialiter; quandoquidem Deo libera est non tantum existentia, sed et hypothesis, aut conditionatum futurorum: tandem Verbum nihil mutationis haberet, aut aliud foret, si nulla existeret creatura, aut nullo modo esset futura; ergo. Idem argumentum tenet etiam pro decretis Dei liberis.

401. *Observa.* Appendix hujus Articuli et prodroma sequentis est questio: Ex quarumnam rerum amore procedat SPIRITUS SANCTUS? Resolutio cum proportionem est eadem, et quidem communis; quod *formaliter ac per se* Spiritus sanctus procedat ex amore essentiae; attributorum et Personarum; concomitantem autem et per accidens tantum ex amore creaturarum futurarum; cum amorem hic partim perfectissimum, partim necessarium requirant omnes, ut de cognitione in superioribus est dictum; notionalis etiam ac necessarius terminus a principio contingente, aut libero dependere nequeat. Dissidium tamen movetur circa amorem possibilium, quem *Thomistæ* hinc exclusum volunt, quoniam possibilium nullatenus a Deo amari contendunt. Cum vero contrarium in *Tr. de Deo uno* insinuaverimus, etiam hic cum aliis communiter repugnamus, ac possibilium amori, conformiter ad dicta de cognitione, formalem concursum attribuimus.

ARTICULUS IV.

AN TERTIA IN DIVINIS PERSONA PROCEDAT A PATRE ET FILIO?

402. *Nota.* Dogma Catholicum de tertia in Divinis Persona gemino hæc tenus errore fuit lacesitum. *Primus Arianos et Macedonianos* habuit auctores, qui, detracta Spiritui sancto divinitate, eum a solo Filio, itidem creatura, factum seu creatum dicebant. Sed brevi extinctus hic error jacuit, Patribus Concilii Oecumenici II. agentibus, qui Symbolo Nicæno post has voces: *Credimus in Spiritum sanctum, addiderunt: Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit.* *Secundus* pertinacior fuit, ac etiamnum apud *Græcos*

Schismaticos perseverat. Quidam Theodoretum in sua Anathematismorum S. Cyrilli confutatione auctorem illius volunt: alii ejus initia ad seculi septimi medium revocant; nec tam ejus editorem nominant, quam oppugnatorem S. Maximum in ep. *ad Marin.* laudant. Illud certum, seculo jam octavo acriorem fuisse circa dogma de Spiritu sancto controversiam, de eaque jam celebratas per Galliam, Italiam et Germaniam Synodos, quas in Chronologica Conciliorum serie notatas reperies. Qua porro vicissitudine sub tempora Photii, Michaelis Cerularii, Josephi Constantinopolitani, et Marci Ephesini, eadem disputatio exarserit et resederit, recruderit et quieverit, resuscitata fuerit, et eatenus compressa, ut publicam saltem fidei erroneæ confessionem recens non obtinuerit, ex historia *Concil. Oecumenicorum, Constantinopolitani et Later. IV., Lugdun. II. ac Florentini* discere licet.

Cum dissidentium pars utraque SPIRITUS SANCTI et divinitatem et processionem a Patre crederet, *Græcorum* partim imperita obstinatio, partim persuasio erronea dissidium effecit perpetuum. Quamvis ipsi concederent, Spiritum sanctum esse a Patre per Filium, quin et a Filio esse, effluere, scaturire, emanare, ac spirari; negabant tamen ab illo procedere: vel quod dicerent processionem connotare principium, quod ab alio non procedit; vel quod existimarent, exinde statui *duo principia* Spiritus sancti quorum prius ignorantiam pertinacem prodit; cum processionis verbum universalissimum sit, ac minus quam quodvis aliud, modum originis determinet: posterius autem errorem credulitatis ostendit; cum in gemina Persona unum duntaxat principium unicamque spirationem *Latini* palam ac sincere profiterentur. Omisso itaque errore altero, qui Disp. 1^a. jam est refutatus, alterum secundum duas has partes distinctis assertionibus profligabimus.

403. *Dico I.* Spiritus sanctus procedit, non a solo Patre, sed etiam a Filio divino. Pars 1^a. ex dictis etiam certa est apud Schismaticos, manifesta est ex Scripturis; a quibus Spiritus sanctus 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus Dei*, Matth. 10. 20. *Spiritus Patris*, Joan. 15. 26. *a Patre procedens* dicitur: definita est in Conciliis, ac in Symbolis plerisque proposita; et plerisque Traditionis monumentis demonstratur, quæ pro parte 2^a. afferuntur. Unde hæc speciatim

Prob. I. Ex SCRIPTURA. 1^o. In Divinis dare aut tradere, idem est ac producere, ut patet ex Joan. 5. 26. Matth. 11. 27. et alibi; ergo et accipere idem est ac procedere; tum quia hoc sequitur ex relativa oppositione: tum quia quidquid Persona una accipit ab altera, non est accidens aliquod utpote a Deo alienum, sed ipsa Dei substantia. Sed Spiritus sanctus accipit a Filio, dicente Christo, Joan. 16. 13. et 12. *Spiritus veritatis non loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis:* quibus verbis ipsam divinitatem communicatam denotari, colligitur ex v. 15., ubi Christus ait: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis;* ergo. Ita colligunt ex hoc loco ATHAN. in ep. 3. ad Serap. n. 1., EPIPHAN. in Ancor. n. 67., AMBROS. de fide Orthod. c. 8. (opp. t. 2. part. 2. p. 356.), HILAR. L. 8. de Trin. n. 20. et alii.

2^o. Qui mittitur missione propria a Filio, procedit ab eodem; sed Spiritus